Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

in perturbatione huius seculi · sub defensione
fidei spei et caritatis conseruatur. Phy
listiim ascendunt · cum populi gentium · per fi
dem et dilectionem dei se extendunt. In
machmas castra metantur · dum in spiritali le
gis obseruatione commorantur. Ad orien
tem bethauen que domus inutilis dicitur
castra sua collocant · dum per fidei illumina
tionem litteram inutilem ad allegoriam
utilem commutant. Viri israhel se in arto si
tos uident et timent · dum iudei tandem in
fine · dampnationem suam recognoscunt
et expauescunt. Populus afflictus · cum syna
goga in amaritudine uere penitentie
conteritur. In speluncis et in abditis · et in
petris et in antris · et in cister [illegible]
nis se abscondunt · cum ab ira dei in fide
passionis christi se recondunt. Quinque enim
que hic describuntur · populi iudaici refu
gia sunt · quinque uulnerum christi mysteria ·
in quibus synagoga per fidei confessionem et pe
nitentiam delitescit · cum diuine animad
uersionis uindictam recognoscendo perti
mescit. De his refugiis spiritus sanctus loquitur
in canticis. Surge amica mea · speciosa
mea · et ueni · columba mea in foramini
bus petre · in cauerna macerie. Ad hec etiam
refugia transire cohortatur esayas propheta.
Ingredere petram · abscondere fossa humi.
Petram enim ingreditur · qui in humanitate christi ·
per fidem spem et dilectionem se tuetur. Fossa
humi absconditur · qui per uere penitentie
satisfactionem sanguinis christi redemptionem
consequitur · qui de fossa humi terre profluxit ·
quando lancea latus eius aperuit. Hebrei
iordanem transeunt · cum per hoc quod ad christi
passionem refugiunt · ad baptismi sancti
ficationem pertingunt. Terram gad et ga
laad ingrediuntur · cum per fidem baptismi ·
ad dei seruitutem accinguntur · et in me
ditatione sancte scripture reficiuntur. Gad
enim accinctus dicitur · galaad aceruus testi
monii interpretatur. Cumque adhuc esset
saul in galgala · uniuersus populus perterritus est qui
sequebatur eum. Et expectauit septem dies · iuxta
placitum samuelis. Et non uenit samuel in gal
gala · dilapsusque est populus ab eo. Ait ergo saul ·
afferte mihi holocaustum et pacifica. Et obtulit
holocaustum. Cumque complesset offerens ho
locaustum · ecce samuel ueniebat. Et egressus
est saul obuiam ei · ut salutaret eum. Locutusque
est ad eum samuel. Quid fecisti? Respondit
saul. Quia uidi quod dilaberetur populus a me · et
tu non ueneras iuxta placitos dies. porro phy
listiim congregati fuerant in machmas · dixi ·
nunc descendent phylistiim ad me in gal
gala · et faciem domini non placaui · necessitate
compulsus obtuli holocaustum. Dixitque sa
muel ad saul. Stulte egisti · nec custodisti
mandata domini dei tui · que precepi tibi. Quod
si non fecisses · iam nunc preparasset dominus regnum tuum
super israhel in sempiternum. Sed nequaquam reg
num tuum ultra consurget. Quesiuit enim dominus
uirum sibi iuxta cor suum · et precepit ei dominus ut
esset dux super populum suum · eo quod non seruaueris
que precepit dominus.

NB

SPIRITUS sanctus qui simul omnia creauit ·
in mundum sub una littera · simul omnia preteri
ta · presentia · et futura comprehendit. Saul adhuc in galgala ma
net · dum populus iudaicus obseruationi legis
frustra inheret. Uniuersus populus qui eum sequitur
perterretur · dum multitudo seruiens decalo
go · celestis iure uindicta exterretur. Sep
tem diebus iuxta placitum samuelis expec
tat · dum omni tempore quod in septem diebus
decurrit · filium dei in lege sibi promissum · adhuc
uenturum frustra errore deceptus estimat.
Samuel in galgala non uenit · quia filius dei qui
uenturus a synagoga expectatur · iam transiit.